

P. SILVESTER M. BRAITO OP

## CONAMEN BOHEMORUM DE DEFINIENDA ECCLESIA TEMPORE MEDII Aevi

Natio Bohemorum medio aevo impulsum efficacissimum definiendae Ecclesiae stabiliendoque conceptui Ecclesiae impendebat.

Datis tristissimis illius temporis circumstantiis vitae moralis cleri in Bohemia et alibi terrarum voces reformationem exposcentes quae in toto mundo resonabant etiam in Bohemia auditaerunt.

In toto mundo notum est nomen Magistri Joannis Hus hac in re. Attamen ejus actio nullatenus est prima nec isolata.

Contra morum corruptelam tum populi tum optimatum simul ac cleri vehementissime praedicatores invehebant. Praeclara sunt nomina Milič de Kroměříž, Konrad Waldhauser, Stephanus de Dolany. Hus similiter suam actionem reformatricem per increpationes et objurgationes concionatoris severissimi et implacabilis incoepit.

Attamen praedicatores tunc temporis, Joanne Hus non excepto, contra vitia hominum haud in ecclesia praesentium vociferabant, et crimina cleri coram populo redarguebant. Omnibus autem notus est eventus talium sermonum.

Archiepiscopus Pragensis Joannes de Jenštejn reformationem per viam ordinariam seu administrativam inducere pro viribus satagebat.

Nec hocce conamen exitum efficacem habuit.

Alia via procedebat Joannes Hus. Et ipse incipiebat utpote praedicator ferventissimus vitia populi ac cleri increpationibus

infensissimis objurgare. Attamen paulatim spem omnem amittebat reformandi christianos. Maximo cum zelo accepit sententias Wiclefi de interna natura Ecclesiae.

Per totum medium aevum Ecclesia potius describatur quam definiebatur per „Corpus Christi mysticum”. Sub hac notione continebatur omne in quod Christus ut Caput per suam gratiam capitis influit.

Sic tractat de Ecclesia S. Thomas III q. 8. a. 3. Medium aevum non habuit satis elaboratam doctrinam de Ecclesia. Per corpus mysticum intelligebant theologi omnes inclusos sub Christi influxu.

His incipit tum anxietas Magistri Hus tum nova via ejus conceptionis ac definitionis Ecclesiae. Anxietate premebatur quomodo possit Ecclesia uti Christi corpus in suo gremio continere malos homines... Respondet: Praedestinati per gratiam radicalem praedestinationis pertinent semper ad Christum, etsi per breve tempus ab eo longe errant quia sub gratiae hujus radicalis influxu ad Christum ad bonam frugem redeunt.

Ita jam ante ipsum magister Pragensis Adalbertus de Erinicio (Ranku) Ecclesiam ceu universitatem sanctorum per totum orbem diffusam intelligebat. Adalbertus docuit papam et quidem solum bonum esse caput Ecclesiae secundarie tantum et si in peccatis sit nec tali modo, Petrum et papam non accepisse a Christo plenam potestatem supra ecclesiam, hanc veram internam ecclesiam soli Christo subesse, ipsum solum caput ejus esse, cum Ecclesia alio capite non indigeat. Ita ecclesiam visibilem, romanam nulatenus ecclesiam Christi esse proclamat.

Christologica acceptatio conceptus corporis Christi mystici usitati indiscriminatim in theologia medievali pro conceptu ecclesiologico confusionem maximam provocavit atque falsae acceptationi Ecclesiae ansam praebuit.

Etiam Mathias de Janov, magnus Communionis frequentis immo et quotidianae per Bohemiam zelator non satis clare loquitur de Ecclesia, etiam propter confusionem circa Corpus Christi mysticum. In Libro IV. Regularum, art. 3. c. 1. p. 41 proclamat: Dicitur enim communio corporis Christi societas ipsa sancto-

rum secundum Augustinum prout Ecclesia sanctorum et solium talium est unum corpus Christi mysticum cujus caput est Christus... Praeter hanc invisibilem Ecclesiam quae ipsi est sanctorum communio seu societas invisibilis agnoscit Mathias etiam Ecclesiam visibilem, quae congregat omnes homines sive sint sancti sive mali. Ecclesia visibilis congregatur in una disciplina exteriori, in una fide. Mathias utique agnoscit Ecclesiam utpote gratiarum et hujus sanctitatis dispensatricem, quae dirigit fideles, cui omnes obtemperare tenemur, sed haecce Ecclesia est ipsi „acceptio vulgaris et communis et minus propria"... Mathias de Janov aliam viam reformationis Ecclesiae hujus visibilis ingressus est. Vidit in frequenti sacra Communionem medium aptissimum sanctificandi fideles, magni numeri fidelium quae sanctificatio juxta ipsum posset inducere sanctificationem semper progredientem totius Ecclesiae visibilis quae sic transmutaretur tota in istam veram et propriam ecclesiam invisibilem sanctorum... Mathias non rejecit Ecclesiam visibilem. Commendavit subjectionem omnium auctoritati ecclesiasticae, agnoscit in Ecclesia haberi et bonos et malos. Pessima conditio Ecclesiae visibilis secundum ipsum causata est per hoc quod praevaluit in ipsa major numerus malorum, quia neglexerunt fideles saepe et bene accedere ad Sacram Synaxim. Ideo sola medicina ad meliorem conditionem status Ecclesiae visibilis adducendam est frequentissima Sacra Communio... Dicit: „Obmissio jugis sacrificii id est communionis quotidianae divini sacramenti et cessatio in plebibus christianis est causa damnorum et malorum in Ecclesia"... (l. c. art. VI. c. 1. p. 270 ed. Kybal, Praga).

Sic via patuit Magistro Joanni Hus ad rejiciendam Ecclesiam visibilem totaliter et omni ex parte.

Hus adhaesit opinionibus Magistri Wiclef cujus scripta per Universitatem praegensem a magistris nationis bohemicae in oppositione ad magistros linguae Polonicae et Germanicae magno cum applausu et ferventi cum admiratione amplexata fuerant.

Agitur de duobus scriptis Wiclef: De potestate Papae et De Ecclesia. Hus zelo maximo inardescibat pro magistro anglico, quem in sancta veneratione habuit. Accepit totam ejus doctri-

nam et perplures paginas ad verbum transsumpsit in opere suo *De Ecclesia*,

Ita jam in sermone ex anno 1410, negat Petrum a Christo caput Ecclesiae esse institutum et allegat homileticam expositionem Sancti Augustini verborum Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam... „Super hanc petram... quam confessus es... quam cognovisti dicens: Tu es Christus... super meipsum Filium Dei vivi aedificabo ecclesiam meam. Super me aedificabo te non me super te..." (*In S. Joannem Ex 32 Quaest. C. IV: Recurrat*).

Hus omnem primatum Petro denegavit a fortiori ergo Romano Pontifici...

Vestigia Wiclef premens Ecclesiam in vero et proprio sensu pro Universitate praedestinatorum accipit. Ita contra adversarium suum Stanislaum de Znoyma... *Contra Stan.* 1. II c. 3. Gratia praedestinationis est pro Hus gratia radicalis qua Christo multi permanent praedestinati etiam tempore momentaneae a Christo separationis. Ope hujus gratiae radicalis mox ad Christum iterum redeunt. Ita in suo Sermone *Si diligis*, in suo libro *De Ecclesia...* c. III.

Hus allegat alium textum S. Augustini Exp. 32 Quaest. C. IV Recurrat: et dicit: „Ex ejus expositione patet unam esse sanctam et catholicam Ecclesiam, quae est praedestinatorum universitas et complectitur omnes qui salutem consecuturi sunt..." Attamen S. Augustinus in hoc loco solum dicit omnes quod sancti erant de Ecclesia et in Ecclesia fuere... quod est aliquid totaliter aliud... Verba de universitate praedestinatorum jam Joannis Hus est parenthesis... (*De Ecclesia* c. 1).

Sub fine c. II dicit iterum: Unitas ecclesiae in unitate praedestinationis consistit... Nam singula membra in beatitudine finali unita sunt...

Attamen saepe Hus et de Ecclesia visibili loquitur... Hanc Ecclesiam visibilem seu mixtam continentem bonos et malos non esse illam veram Christi Ecclesiam proclamat. Tales homines sunt quidem in Ecclesia, in hac visibili, mixta Ecclesia, et sunt in Ecclesia ita ut sputa et stercora quae sunt in corpore non

autem de corpore... Ita et praesciti sunt in hac Ecclesia attamen non de vera Christi Ecclesia.

Hus rejicit distinctionem S. Thomae de triplici modo adhaesionis ad Corpus Christi III. q. VIII sc. per gloriam, gratiam, et deinde... rejicit adhaesionem per fidem mortuam. Secundum ipsum pertinent solum sancti, hoc est praedestinati ad Christum per fidem, attamen per fidem informatam caritate... (*De Ecclesia* c. VI). Pervertit ad hunc finem etiam parabolam de tritico et zizania et de piscibus in reti... Malos pisces et zizania jam nunc de Ecclesia, de agro domini de rete Domini eliminata proclamat (l. c. c. III).

Non admittit primatum Petri nec ejus successoris. Ecclesia potest dici romana solum propter magnum numerum sanctorum qui in ecclesia Romae viventes inventi sunt... Petrus fuit caput ecclesiae in quantum fuerit sanctissimus inter apostolos... Si papa est omnium sanctissimus tunc potest esse caput ecclesiae attamen omnino invisibilis...

Sic per Magistrum Hus invaluit et ad extremum devenit confusio acceptationis christologicae notionis corporis Christi mystici pro notione ecclesiologica...

Aliam adhuc explicationem errorum Joannis Hus possumus et debemus adnotare: Joannes Hus sectator fidelissimus erat realismi extremi. Hus jam invenit in Universitate pragensi realismum mitigatum aristotelo-thomisticum, simul ac nominalismum, attamen in hoc veteribus viis et opinionibus inhaesit. Nil mirum dein, si pro ipso platonismo in realismum extremum depravato ducto invisibile, ideale, spirituale, symbolicum majoris momenti quamquam visibile erat.

Amicus Joannis Hus Stephanus Pálež ingenio suo perspicaci faciliter praevидit sequelas practicas pro populo Christiano... Praevидit anarchiam in societate visibili, etiam civili, quia pro Joanne Hus solum sancti et praedestinati officiis suis legitime fungi posse. Ita ut rex vel judex sive papa et episcopus non praedestinati, hoc est non sancti, nullam potestatem et jurisdictionem in corpus Christi habere...

Contra Joannem Hus perplura scripsit. Praesertim contra

ejus tractatum de Ecclesia proprium De Ecclesia tractatum instituit.

Páleč optime vidit tunc temporis non esse adlaboratam doctrinam omnimode perfectam de Ecclesia. Vidit quomodo Joannes Hus in hac lacuna submersus est. Attamen per suum ingenium suspicavit istam doctrinam inclusam esse in manifestationibus Ecclesiae visibilis, in modo agendi suo, in legibus quas de se et pro suis membris condiderat. Suspicavit in sacris Canonibus inclusum esse debere quidquid Ecclesia de se sentivit... Ita adjutorium petiit professorum Facultatis Juris in Universitate Pragensi Georgii de Bor et Simonis. Ipsi coadunaverunt omne de quo Ecclesia vivebat, esse manifestabat et quidquid de seipsa per practicas institutiones, de sua reapse essentia sentiebat.

Ita est Tractatus ejus *De Ecclesia* primum satis bonum et sanum opus de Ecclesia, quod viam modernae Ecclesiologiae aperuit. Optime monstravit Ecclesiam ex Christi voluntate esse ecclesiam vere visibilem super apostolos et primatum Petri ejusque successorum fundatam. Contra Hus demonstrat nec Augustinum alium conceptum de Ecclesia habuisse quam Ecclesia practice semper adhibebat. Sic magni meriti erat opus ejus. Hoc meritum adhuc majus apparet dum advertamur, nominalismum quem tenebant adversarii Hus potuisse nefasstissimas circa Ecclesiae notiones inducere.

Tractatus Páleč ad Concilium Constantiense asportatum est et ibi perlectum. Stephanus Páleč ex suo opere in Concilio coram Patribus Magistrum Joannem Hus convincebat. Et sic ejus incitamenta circa novam methodum in questionibus de Ecclesia tractandis invaluerunt. Utique nec Stephanus Páleč bene sciebat componere notionem Corporis Christi mystici cum Ecclesia visibili, attamen demonstravit praeclare Ecclesiam fuisse a Christo volitam et institutam prout societas visibilis, hierarchica, mixta. Demonstravit Augustinum nullatenus alias quam Ecclesia de se sentiebat de ipsa docere et propositiones quas Hus allegabat symbolicas concionatoris elucubrationes esse, quibus uti potuit Augustinus dum aliis in locis clare et aperte de Ecclesia Christi uti visibili et mixta docuisset.

Ultimo tempore magnum circa Ecclesiae essentiam conamen copiam librorum De Ecclesia procreavit. Permulti autores praesertim germanici uti Guardini, Juergensmeyer et Fackes, plus quam decuit mysticum characterem ut aiebant ecclesiae post Rademacher sublineaverunt. Encyclica Pii Papae XII finem his obscuritatibus imposuit dum aperte monstravit Ecclesiam Christi esse societatem incorporatorum Christo per baptismum et viventium aequaliter de Christo nempe saltem per fidem informem. Sic ad finem feliciter deducta est longa perquisitio a saeculo XIV percurrans de Ecclesia Christi et ejus essentia.

Joannes Hus indirecte ut praebens occasionem inquirendi et Stephanus Pálež directe ut inveniens hoc unde haec questio solvi posset huic conamini adlaboraverunt.